



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Pavlo III. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

bellicæ disciplinæ æmulatione felicissimâ
 transtulit, vt Iouius in Elogiis author est.
 Epistolasque ad Sadoletum & alios multos, nec
 non varia scripsit carmina. Romæ iacet in
 æde S. Laurentii in Damaso cum hoc Epita-
 phio.

*Hippolito Medici Cardinali S.R.E. Vicecancellario, eximij
 corporis ac ingenij, fortunaque muneribus ornatissimo, qui cum ab
 tantararissimarum virtutum indole ad Leonis x. Clementisque
 7. Patruorum Pontificum gloriam contendit, acerbissimâ morte
 surripitur anno salutis 1535. Idibus Augusti, ætatis 24.*

ANTONIUS PUCCIUS Florentinus ex Episcopo
 Pistoriensi Cardinalis Theologus insignis, scripsit
 De Eucharistia Homilias 14.
 Rithmos Octonarios elegantissimos.
 Orationemque in Concilio Lateranensi habitâ.
 Romæ iacet in æde S. Marię supra Mineruam
 cum hoc Epitaphio.

*D. O. M. Antonio Puccio Episcopo Sabinensi Cardinali
 Sanctorum Quatuor, Maiori Pœnitentiario, moribus & religio-
 ne, ac in omnes probos liberalitate singularissimo, qui vixit annos
 60. dies 4. Robertus Puccius Cardinalis Sanctorum Quatuor
 maior Pœnitentiarius fratris filio iuxta Clementem Papam septi-
 mum à quo purpuram acceperat, sepulchrum faciendum curauit.
 Mortem obiit anno 1544.*

A PAVLO III. CREATI.

NICOLAUS A SCHONBERG Germanus Cardi-

nalis, tantæ apud omnes existimationis fuit, vt nec dum Cardinalis, Hadriani 6. & Clementis 7. Comitibus Pontifex Maximus propemodum renunciatus sit. scripsit

Orationes 5. de admiranda Christi pugna cum diabolo in deserto, coram Iulio 2. habitas, quæ anno 1511. excusæ sunt.

Epistolasque plures quarum aliqua inter Epistolas Principum & Federici Nausæ visuntur. Romæ iacet in æde S. Mariæ supra Mineruam cum hoc Epitaphio.

Hoc vili quem à tergo Lector habes tumulo conditus est Is in quo mira rerum peritia, Catholica doctrina atque religio fuit; Nicolaus Schonberg natione Sueuus ordinis Prædicatorum Cardinalis Capuanus à Paulo 3. Pontifice maximo creatus, quem nobilem genere, ipsa nobiliorem dedit virtus, qui tanto maiori laude post mortem efferendus est, quanto ipse moriturus eam fugere curauit.

NICOLAUS A SCHONBERG THEODORICI FILIUS EX SVEVIS MISENENSIBVS ORIVNDVS S.R.E. TIT S. SIXTI PRESBYTER CARDINALIS COGNOMENTO CAPVANVS SACRI ORDINIS PRÆDICATORVM. VIXIT ANNOS LXV. DIES XXIX. OBIIT ANNO CHRISTI M.D.XXXVII. QVINTO IDVS SEPTEMBRIS.

IOANNES BELLAIVS ex Episcopo Parisiensi Cardinalis Gallus ad latinam & extemporalem eloquentiam natus scripsit.

Carminum libros tres.

Orationem Massiliæ, subitariâ dictione coram
Clemente 7. & Francisco primo Galliarum
rege habitam.

Orationes alias aduersus Carolum 5. Impera-
torem.

Epistolamque Galliarum Regis nomine ad Im-
perii ordines Spiræ conuocatos. Obit
Romæ anno 1560. Iacetque in Ecclesia Tri-
nitatis in monte Pincio.

IOANNES FISCHERVS ex Episcopo Roffensi
Cardinalis Anglus ad refellendas Lutheri vero abhor-
rentes & auersandas nugas (quarum copia antiquitatem
derenebrare, verum subducere, & mentes exoculare e-
nifuse sit) perquam opportunus, scripsit

Defensorium Regis contra Lutherum.

Confutationes eiusdem Lutheri.

Promissa contra Oecolampadium.

Defensionem Sacerdotij.

De veritate Corporis Christi lib. 5.

Conuulsionem Veleni.

Præcationum suarum libr.

Pro vnica Magdalena contra Iacobum Fabrum
lib. 3.

Contra Clithouem pro eadem.

De fiducia misericordiæ Dei.

Ad populum homelias.

Sermones contra Lutherum.

Contra captiuitatem Babilonicam Lutheri.

In septem Psalmos.

De Septem Sacramentis.

De Purgatorio.

De primo Matrimonio Regis.

Additiones de Magdalena.

Pro damnatione Lutheri, qui postremæ etiam-
num grassantis hæreseos culpam sustinet.

Et alia id genus nonnulla. Londini anno
1535. Henrici 8. Angliæ Regis mandato capi-
tis supplicium libentissimè pertulit, ne veræ
& auitæ Religionis Catholicæ gloria inter-
cideret.

GASPAR CONTARENVS Venetus, ex Episcopo
Bergomenfi Cardinalis, cuius Elogium apud Iouium,
& vitam à Ioanne Casa conscriptam habes, scripsit

De Elementis lib. 5.

Primæ Philosophiæ compendii lib. 7.

De immortalitate animæ libros duos aduersus
Pomponatium præceptorem suum.

Non dari quartam figuram Syllogismi, quæ di-
citur Galeni.

De Homocentricis ad Hieronimū Fracastoriū.

De ratione anni.

De magistratibus & republica Venetorum.

De Sacramentis Ecclesiæ libros 4.

De officio Episcopi libros 2.

Scholia in Epistolas D. Pauli.

Catechismus.

Conciliorum magis illustrium summam.

Confutationem articulorum, seu quæstionum
Lutheri.

De potestate Pontificis opusculum quod can-
dem intra noctem cceptum transactumque
fuit.

De Iustificatione.

De libero arbitrio.

De prædestinatione.

Explanationem in Psalmum *Ad te leuani.*

Ad Apologiam Francisci Georgii responsionē.

De maris æstu opus insigne, sed periit.

Epistolasque multas. Obiit Bononiæ Pontificis Legatus anno 1542. Ibidemque in Ecclesia S. Petronij sepultus est. Romulo Amasæo in eius funere orante.

IOANNES MARIA de Monte Aretinus ex Archiepiscopo Sipontino Cardinalis, qui postea Iulius Papa 3. Tridentino Concilio Apostolicæ sedis Legatus præfuit, Pauloque 3. fato cedenti sufficitur, cumque Lippo Brandolino, & Ambrosio Catharino præceptoribus usus esset, viros longè doctissimos in famulatio sèper habuit, inter quos Romulus Amasæus, Paulus Sadoletus, Blosius Palladius, Hippolitus Saluianus, & Galeacius Florimontius cæteris antistabant. Extant orationes eius in Conciliis Lateranensi & Tridentino habitæ, aliæque etiam complures coram Pontificibus & Cardinalium Collegio. Obiit Romæ anno 1555. Sepultusque est in æde S. Petri in monte aureo.

IOANNES PETRVS CARAPHA Cardinalis Neapolitanus, Theatinorum congregationis institutor, qui postea Paulus Papa quartus, scripsit

Commentarium pro principatu Basilicæ S. Petri Vaticanæ.

De emendanda Ecclesia ad Paulum 3.

Orationes aliquot.

Regulam Clericorum regularium qui Theatini nuncupantur.

Epistolas ad Sadoletum, Hosium, Gropperum,

Erasmum & alios.

Diplomata item varia.

Et alia quædam ab hæretico abbreviatore vniuersalis bibliothecæ non sine virosa natiuæ fraudis aspergine recensita. Romæ iacet in æde S. Mariæ supra Mineruam cum hoc Epitaphio.

Paulo quarto Caraphæ Pontifici Maximo, eloquentiâ, doctrinâ, sapientiâ, singulari innocentiâ, liberalitate, animi magnitudine præstanti, scelerum vindici integerrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori. Pius quintus Pontifex maximus grati & pij animi monumentū posuit. Vixit annos 85. mensem 1. dies 20. Obiit anno 1559. 15 Kal. Septembris; Pontificatus sui anno quinto.

CAROLVS HEMARD Gallus ex Episcopo Matisconensi Cardinalis, Orationem habuit in funere Francisci 1. Gallix Regis, scripsitque Francisco à Cruce sua in Bibliotheca referēte nonnulla de Legationibus suis. Iacet Ambiani in Cathedrali cum hoc Epitaphio.

D. O. M. & memoriæ æternæ Caroli Hemardi Cardinalis Matisconensis & Ambianensis Episcopi.

*Quem nunc iacentem Carolum Hemardum vides;
Non stemma opesue, at una virtus & labor
Pedetentim ad vsque summa vexit munia.
A consilijs primū ille regis, paululum
Post Romam ad ipsum Summum Pontificem, suis
Negoria, vt Regis fideliter gerat
Legatus, adeo se vtrique fidum præstitit,
Vt Cardinalium numerum atque in ordinem*

R.

Asciret iste, ille Ambianæ Ecclesie

Præficeret, in qua consepulsiis liibus.

Vt Pacis arrham perpetuam corpus suum.

Animam Deo linquens sepeliendum dedit.

Obiit

*23. Augusti anno 1540. suæ vero ætatis 47. Anima
quiescat in pace, Amen.*

IACOBVS SADOLETVS Mutinensis Cardinalis
oratorum æui sui vberimus, cuius vita ab Antonio
Florebello edita est, Nicolaum Leonicum præcep-
torem habuit. scripsitque ad mensum eloquio, & (vt fer-
mè amat posterior eloquentia) numerofo

De pueris rectè ac liberaliter instituendis.

De laudibus Philosophiæ lib. 2.

Philosophicas consolationes & meditationes
in aduersis.

In Epistolam B. Pauli ad Romanos lib. 3.

In aliquot Psalmos præsertim 50. & 93.

De peccato originali.

De purgatorio.

De tranquillitate vitæ.

De Ecclesiæ Catholicæ ædificatione.

Super titul. de confessis in Iure.

Epistolarum familiarium libros 16.

Poemata multa inter quæ Curtius & Laocoon
primas renent.

Homeliã de obitu Federici Fregosii Cardinalis.

De bello Turcis inferendo ad Galliarum Regé.

De Hungariæ Regno à Turcis oppresso. Et

alia. Obiit Romæ anno 1547. Funebrique

oratione à Iacobo Gallo laudatus. Sepul-

tus est in æde S. Petri ad vincula cum hoc

Epitaphio

D. O. M. Iacobo Sadoletto Episcopo Carpentoraetis S. R. E. presbytero Cardinali viro morum grauitate, prudentiâ & vitæ integritate præstantissimo; doctrina & eloquentia, cum iis quos mirata est antiquitas, comparando. Paulus Sadoletus Episcopus Carpentoraetis & Camillus Sadoletus fratrum filij mæstissimi multis cum lacrymis patruo B. M. pro tempore posuerunt. Vixit annos 70. menses 3. dies 6.

HIERONIMVS ALEANDER ex Archiepiscopo Brundusino Cardinalis memoriâ ad miraculum præpollens, Græcas latinaeque literas annos ad viginti natus Lutetiæ publicè professus est. Quamuis autem in Philosophicis feliciter versatus & abunde Theologiæ adeptus sublimiora quæque leuioribus prætermisissis pertractare par esset, de re nihilominus literaria licet inferiori, benemereri non dedignatus est, exilis argumenti operulis editis, quæ tamen authoris nomen & famam nec eleuant, neque imminutum eunt. scripsit

Vastum opus aduersus singulos disciplinarum professores, in quos censuram acerbius & felicem exercuit calamum.

Tabulas in Grammaticam Græcam seu potius Grammaticam ad literas Græcas.

Dialogos duos festiuissimos; quorum alter Cicero relegatus inscribitur, alter vero Cicero reuocatus.

Carmina quædam illustrium Poetarum Italarum carminibus indita.

Epistolas multas quarum 4. habes inter Epistolas Federici Nauseæ. Et alias in quibus de rebus Ecclesiasticis agit.

Annotationes item quædam in bibliotheca Cardinalis Sirleti asseruatas. Obiit Romæ.

Petro Bembo, Marcello Ceruino, & Huberto Gambarà Cardinalibus testamenti executoribus relictis. Sepultusque est in aede S. Chrisogoni cum hoc Epitaphio.

Hieronimo Aleandro Mortensè Comitibus Landri in Carnia Petrapilose in Histria oriundo tit. S. Chrisogoni S. R. E. presbytero Cardinali Brundusino, Philosophiæ & Theologiæ Doctori, Hebraica, Græcæ, Latina, aliquotque aliarum linguarum exoticarum ita exactè docto, ut eas rectè & aptè loqueretur & scriberet, mox diuersis legationibus pro Summis Pontificibus ad omnes ferè Christianos Principes fideliter & diligenter perfuncto, & ideo in tabem delapso, quanti humanam miseriam fecerit, sequenti disticho de se edito, restatum posteris reliquit.

Κάτθανον ἔκ α' ἔκων, ὅτι παύσομαι ἔπι μάρτυς
Πομπῶν, ὧν περ ἰδεῖν ἄλγιον ἴω θανάτῃς.

Natus est Motta in Carnia anno 1479. moritur Romæ anno Christ. salutis 1542. ætatis suæ 62. minus diebus 13. Hæredes patris amplissimo & optimo mæstissimi P. C.

REGINALDVS POLVS Regio Anglorum Sanguine natus Cardinalis, Paulo, defuncto, multorù Cardinalium votis, paucis admodùm renitentibus Pontifex expetebatur, duòque ei tantùm ad summum Pontificatum suffragia defuerunt, scripsit

Ecclesiasticæ vnitatis defensionem lib. 4. ad Henricum 8. Angliæ Regem.

De Concilio.

De potestate Ecclesiastica.

De reformatione Angliæ.

De Summo Pontifice eiusque officio & potesta-

te aduersus huius æui hæreticos quibustam
proiecta Romani Pontificis authoritas.

De modo orandi.

De Baptifino Constantini Imperatoris.

Adhortationem in Concilio Tridentino habi-
tam, & aliam ad Carolum 5. Imperatorem,
& Franciscum primum Gallix Regem pro
pace.

Vitam Longolii.

Epistolasque multas quarum aliqua leguntur
inter Epistolas clarorum virorum, Obiit
anno 1558. eiusque vita à Ludouico Becatel-
lo Archiepiscopo Ragusino edita est.

PETRVS BEMBVVS Venetus ex Episcopo Bergo-
mensi Cardinalis inter paucos disertus, cuius vita à
Ioanne Casa edita est, Constantinum Lascarem, Ni-
colaumque Leonicum præceptores habuit, & emen-
datâ locutione (ni demortua quædam & obsoleta ve-
cabula reuocasset aliaque Italis auribus noua solerter
effinxisset) scripsit

Historiæ Venetæ libros 12. quos etiam Etruscæ
consuetudini tradidit.

De Virgilio culice & Terentii fabulis.

De imitatione ad Ioannem Picum Mirandu-
lanum.

Epistolarum Leonis x. nomine scriptarû lib. 16

Epistolarum familiarium libros 6.

Vitam Guidubaldi Feretrii & Bartholomei Co-
leonis.

De Ætna Dialogum.

Poema heroicum, cui titulus est Benacus.

Carminum libellum.

De ratione Etruscè loquendi libros tres.
Epistolarum Italicè scriptarum volumina qua-
tuor. Et alia quædam. Romæ iacet in æde
S. Mariæ super Mineruâ cum hoc Epitaphio.

*Petro Bembo Patricio Veneto ob eius singulares virtutes à
Paulo 3. Pontifice Maximo in sacrum Collegium cooptato Tor-
quatus Bembus posuit. Obiit 15. kal. Februarij 1547. Vi-
xit annos 76. menses 7. dies 28.*

FEDERICVS FREGOSIVS Octauiani Genuæ
Ducis Frater, ex Archiepiscopo Salernitano Cardina-
lis, cuius laudes Elogii angustiis conclusas apud Folie-
tam habes, Bembum & Sadoletum in famulatio ha-
buit, scripsitque.

De modo orandi.

Meditationes in Psalmos 130. & 145.

Orationem ad Genuenses à doctis summo operè lau-
tam.

Epistolasque aliquot ad Corresium, Sadoletum
& alios. Eugubii anno 1541. vitæ finem imple-
uit, ibidè que in Ecclesia S. Crucis sepultus est.

PETRVS PAVLVS Parisius Cosentinus Cardina-
lis Iuris vtriusque interpres imprimis celebris, scripsit
Consiliorum volumina 4. quibus largas opes
comparauit.

In 2. Decretalium.

Lecturas.

Commentaria in quatuor Iuris ciuilibus post meri-
dianos tractatus.

Et alia quædam. Romæ iacet in æde S. Mariæ
Angelorum cum hoc Epitaphio.

D. O. M. Petro Paulo Parisio Cosentino S. R. E. presbytero Cardinali qui ob celebrem Iurisprudentiæ famam in nobilissimis Italiae Cathedralis spectatam à Paulo 3. Pont. Maximo Bononiâ Romam accitus, Apostolica primum Camera auditor creatus, mox in amplissimum ordinem adscriptus, signandisque gratiæ libellis præpositus, sacri tandem Concilij Tridentini Legatus & Præses electus, ut viuens ætati suæ Christianæque Reip. præsentis consilio atque virtute, ita post mortem præclarissimis editis ingenii atque doctrinæ monumentis plurimum posteritati profuit. Obiit quinto Idus Maij anno salutis 1545. ætatis suæ 72. Flaminius Parisius Episcopus Bitontinus, gentilis sui, studiorum & gloriæ æmulus, patriæ & familiæ ornameto fieri testamēto mandauit. Qui vixit annos 40. Fabricius Galeta & Prosper Parisius executores anno 1604.

BARTHOLOMEVS VIDACCIONVS Lucensis, Cardinalis Maiorque Pænitentiarius, scripsit; ut habet Maphæus in vita B. Ignatij Loiola.

De nouis Religionibus ad certum numerum redigendis, Iacetque in Cathedrali Lucensi cum hoc Epitaphio.

Bartholomeo Vidacciono Cardinali & Presuli Lucensi, Iuris utriusque consulto & Theologiæ perito, Paulo 3. Pontifici maximo, uti gratissimo, ita multis, magnisque rebus & signandis libellis Iustitiæ, & Gratiæ assidue exercito, & cum quietæ studiū vitæ otiumque appeteret, inuitè euecto, graui totius curiæ & damno & mœrore è medio sublato. Nicolaus Vidaccionus nepos, Patri & patrono amantissimo. Vixit annos 80. quinto Kalendas Septembris 1549. inter nos esse desit. I. V. I.

MICHAEL SILVIUS ex Portalegri Comitibus, Lusitanus Vicensis Episcopus & Cardinalis, à Giraldo inter sui temporis poetas numeratur, & à Iouio Poeta cultissimus, omnisque elegantiae arbiter vocitatus est, scripsit

Plurima carmina non modo legi, sed & edisci digna à doctis, ex quibus duntaxat vidi epigramma Romæ in Capitolio marmoreis tabulis S. P. Q. R. iussu insculptum.

Versus ad Titianum Pictorem Illustrium poetarum carminibus intersptos.

Aliosque in laudem Vitellotii Vitellii Ducis fortissimi apud Iouium in elogiis. Circumferuntur & alia eius carmina quæ prælum expectant. Obiit Romæ anno 1556. Iacetque in Ecclesia S. Mariæ trans Tyberim.

MARCELLVS CRESCENTIVS Romanus Cardinalis scripsit

Decisiones Rotæ iampridem exeusas. Romæ iacet in æde S. Mariæ Maioris cū hoc Epitaphio.

D. O. M. Marcello Cardinali Crescentio qui ob insignem præstantis ingenij laudem 25. natus annos à Clemente 7. Rotæ Auditor, deinde Episcopus factus à Paulo 3. S. R. E. Cardinalis creatus Principum virorum, Regumque in primis gratia & benevolentia floruit sub Iulio 3. Bononiæ perpetuus Tridentini Concilij solus Apostolicæ Sedis Legatus in Orthodoxæ fidei causâ cum totus incumberet, graui morbo consumptus. Verona decessit, anno ætatis suæ 52. salutis humane 1552. Kalendis Iunij. Alexander Crescentius fratri B. M. & sibi posterisque suis tumulum fieri iussit. Marius Crescentius Alexandri nepos, Hippolitii filius, Marij pronepos fecit 1857.

IOANNES MORONVS Mediolanensis, ex Episcopo Mutinensi Cardinalis, ad quem plures extant Sadoleti, Cortesij, Pauli Manutii, Pauli Sacrati, Hosij, & Guilelmi Turnerij Angli Epistolæ, scripsit

Constitutiones Episcopatus Nouariensis & Mutinensis Synodi.

Orationem in Concilio Tridentino habitam.

Epistolasque ad Cortesium, Paulum Iouium, Federicum Nauseam & alios, qui & ad illum literas frequenter dabant. Romæ iacet in æde S. Mariæ super Mineruam cum hoc Epitaphio.

Hic iacet corpus Ioannis Cardinalis Moroni Patricij Mediolanensis, & Episcopi Ostiensis, qui fuit Legatus Apostolicus in sacro Concilio Tridentino & Præses. Vixit annos 71. Menses 10. dies 5. Obiit 1. Decembris 1580. Orate Deum pro eo. Hieronimus Moronus, Comes Pontifcoronis hæres, Horatius Moronus Episcopus Sutrinus & Nepefinus fratris filij, Domino ac patrono optimo ex testamento mærentes P. P.

GREGORIUS CORTESIUS Murinensis Ordinis S. Benedicti Cardinalis, Græcis latinisque literis cumulate informatus, scripsit

De Theologica Institutione.

In 4. libros Sententiarum.

Quod S. Petrus Romæ fuerit ad Hadrianum 6. lib.

De potestate Ecclesiastica.

Epistolarum latinarum lib.

Hymnorum diuerso metro lib.

De viris illustribus Ordinis Monastici.

De direptione vr̄bis Genuensis.

Poemata quedam ad imitationem Catulli.

Nonnulla ad Philosophicam & Theologicam facultatem spectantia.

Basilique de virginitate liber à latinis eius operâ perlegitur. Obiit Romæ anno 1548. sepultus ad S. Apostolos.

THOMAS BADIA Mutinensis Ordinis Prædicatorum Cardinalis, scripsit, vt refert author Bibliothecæ ordinis Prædicatorum

Commentaria in 8. libros Physicorum.

In libros de anima.

In libros Metaphysicorum.

De Prouidentia Dei,

Quæstionumque Physicalium & Metaphysicalium librum vnicum. Obiit Romæ anno

1547. Sepultus in æde S. Mariæ super Mineruam cum hoc Epitaphio.

D.O.M. Thomæ Badia Mutinensi, eruditione, continentia, ac sanctitate clarissimo Cardinali Diui Syluestri, qui & amplissimo ordini Senatorio, & cunctis mortalibus, miræ cuiusdam frugalitatis, religionis, atque omnis vitæ incredibile exemplū reliquit, aliis vero quibuscunque honoribus, non tam uti voluit, quàm dignus videri, quos tamen solâ morte existimatus est fugere potuisse. Franciscus Badia Fratri optimo posuit. Vixit annos 63. menses 9. dies 27.

THOMAS BADIA CARDINALIS S. SYLVESTRI ORDINIS PRÆDicatorum DECESSIT E VITA ANNO M. D. XLVII OCTAVO IDVS SEPTEMBRIS.

FRANCISCUS MENDOÇA Hispanus Cardinalis, Ferdinandi Pinciani optimis institutis formatus, illatenus in studiis gradum protulit, ut 16. ætatis annum agens, non modo in bonos authores præceptoris exemplo commentaretur: verum etiam absentis eius vices summâ cum gratiâ de superiori loco Salmantice expleret. Scripsit, ut refert author Bibliothecæ Hispaniæ

Genealogias illustrium Hispaniæ familiarum.

Maximamque in Græcis libris vndique colligendis, operam nauavit. Iacet in Cathedrali Conchensium hoc Epitaphio.

Franciscus Mendocça primùm Cauriensis Episcopus, post modum Cardinalis, in Burgenfi tandem Episcopatu sedit annos 16. ubi præter alia multa pietatis opera, quæ in pauperes erogauit, huius Ecclesiæ fabricæ casus Episcopales, qui undecim millium ducatorum fuerunt, largitus est, ac mensæ capitulari præstimoni aliquot, sex dimidias portiones Cantoribus & integram..... uniri curauit, præclaraque multa alia meditabatur, sed morte præceptus, Obiit 26. Nouembris 1566. suæ vero ætatis 58.

FRANCISCUS SFONDRATVS Cremonensis Cardinalis Gregorii Papæ 14. ex legitimo matrimonio Pater, scripsit, non ignobili carmine

De raptu Helenæ poëma heroicum. Venetiis anno 1559. excusum.

Epistolas ad Federicum Nauseam & alios. Iacetque in Cathedrali Cremonensi cû hoc Epitaphio: *Franciscus Sfondratvs hîc acquiescit, Baptista illius filius, qui Senator & Consiliarius Ludouico Sfortiæ valde charus fuit, ob multas Legationes quas iussu ipsius obiit ad omnes & Reges & Illu*

stres Respublicas. Hic Comes Litoris Larij ad orientem vergentis, Baroque Assinæ vallis ob egregiam fidem, prudentiamque in Republica administranda, & admirabilem intelligentiam Iuris, à Carolo Allobrogum Duce Senator illic creatus est, posteaque à Francisco 2. Insubrum Duce in ordinem Senatorum Mediolani adscriptus, in ea dignitate à Carolo 5. Imperatore cum in ipsius ditionem Ciuitas redisset, retentus fuit, auctusque Consiliarij gradu. Mortuâ vero uxore Anna Vicecomite lectissima femina, ab eodem summa cum potestate Senas missus est, ut eorum Rempublicam discordiis vexatam, consilio suo regeret, à quibus ob egregia ipsius merita, & Ciuitate donatus est, & Pater Patriæ appellatus. Postea Romam à Paulo 3. Pontifice Maximo euocatus in Germaniam paulò post missus est, ab eodemque in Amplissimum Cardinalium ordinem cooptatus, ad Carolum Imperatorem magnis de rebus Legatus est. Ornatus demùm à Sapientissimo, acerrimique Iudicij Senæ omnibus honoribus quibus Summi Antistitis persona decorari potest, mortem obiit anno 1550. Cremonæ patriæ Episcopus. Nicolaus & Paulus eximiâ pietate præditi filij, hoc monumentum posuerunt. Vixit annos. 56. menses 9. dies 7.

NICOLAUS ARDINGHELLVS Florentinus Cardinalis, maternâ, latinâ, & græcâ linguâ absolurè excultus, quædam polioribus literis admodum vtilia dictavit quæ manuscripta circumferuntur, Epistolasque complures. Romæ iacet in e de Mariæ super Mineruam cum hoc Epitaphio.

D. O. M. Nicolao Ardinghella Florentino, primariæ nobilitatis viro, quem Iuris vtriusque consultissimum omnisque virtutis ac sapientia laude præstantem, ad Episcopatum Foro sempromniensem prouectum, Cum Paulus 3. Pontifex Maximus Piceno primùm cum honore Vicariæ Legationis imponeret, deinde suppli-

cum libellis præficeret, demum in Sacrum Cardinalium Collegiū adoptaret, tituloque S. Apollinaris insigniret, non tam hominem quam honorem cohoneſtaſſe viſus eſt. Annos natus quatuor & quadraginta in medio virtutum & honorum curriculo ereptus, acerbum ſui deſiderium reliquit omnibus, decimo kalend. Septembris 1547. Alexander Ruſſolus, Bartholomæi & Mariæ Ardinghellæ filius, ob memorem erga conſanguineum optimum voluntatem poſuit, anno poſt conditam ſalutem 1601.

HENRICVS Cardinalis & Portugaliæ Rex, eâ ciuiliſ animi pietate præditus, quæ in regnatrice domo eductos decet, cunctos ſuauiſſime morum inlexit, ſcripſitque Luſitanâ linguâ.

Sermones ad populum habitos, quos Antonius Senenſis Ordinis Prædicatorum latinos fecit.

Meditationes quaſdam.

Epistoſasque non paucas. **Obiit** Almerini Anno 1580.

CAROLVS A **LOTHARINGIA** ex Guisiz Ducibus Cardinalis creditum ſibi gregem nuperæ deformationi Caluiniſticæ aurem aduertere neuiquam ſuſtinuit, poſteritati que tranſcripſit

Orationes multas, quarum quinque eleganter ſcriptæ in manibus habentur. Iacetque in Cathedrali Rhemenſi, cum hoc Epitaphio.

D. O. M. Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis de Lotharingia Archiepiſcopus Dux Rhemenſis primus Par Franciæ, S. Apoſtolice ſedis Legatus natus, de morte & reſurrectione cogitans, ſibi viuens poſuit, an. 1573. Pontificatus ſui anno 35. Vixit annos 49. meſes x. dies 8. horas 4. Obiit anno Domini 1574. Septimo kalendas Ianuarij, Requieſcat in pace Amen. Ego

credidi quia Tu es Christus filius Dei. vini, qui in hunc mundum venisti.

BERNARDINVS MAPHÆVS Romanus, ex Archiepiscopo Theatino Cardinalis, ad quem Petri Victorii, Pauli Manutii, & Aonii Palearii leguntur Epistolæ, scripsit

Elegantem historiam de inscriptionibus & imaginibus antiquorum numismatum.

Orationes quasdam.

Epistolæque quarum aliquas habes inter epistolæ clarorum virorum Aonii Palearij & Federici Naufæ.

Romæ iacet in æde S. Mariæ supra Mineruam cum hoc Epitaphio.

D.O.M. Bernardino Hieronimi filio Maphæo S.R. E. Presbytero Cardinali tituli S. Ciriaci in Thermis, Vixit annos 39. menses 5. dies 20. Obiit 17. Kal. Augusti, 1549.

A IVLIO III. CREATI.

IACOBVS PUTEVS Niciensis, ex Archiepiscopo Barenfi Cardinalis, Conciliique Tridentini Legatus designatus, scripsit

Decisiones Rotæ:

De mutatione Monetarum.

Et alia quædam. Romæ iacet in æde S. Mariæ super Mineruam cum hoc Epitaphio.

D.O.M. Iacobo Puteo Niciensi S.R. E. Presbytero Cardinali, viro integerrimo, qui summam Iuris utriusque scientiam ita cum summa probitate coniunxit, ut vnus Reipublicæ constituendæ, disciplinæque veteris reuocandæ præcipuus author bonorum votis expeteretur. Vixit annos 68. menses 2. dies 15. Obiit 6. Kal. Maij 1563. Antonius Puteus Archiepiscopus Bariensis nepos posuit.